





8

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**SANGUINIS**  
**ET ANIMÆ NEXU,**

*Quam-*

AU SPICE DEO PROPITIO,

*Et Consensu arque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Ä S I D E,

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. PORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE  
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-  
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS

ANNO MDCCXLIV. D. OCTOBR.

*Publicæ ac placide Eruditorum ventilationi subjiciet*

RESPONDENS

**JOHANNES ELIAS DITTMAR,**

SCHWARTZBURGICUS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.





## PROOEMIUM.



Anifesta & ad hominem s.  
naturalem sensum evidens  
veritas est, quam aposto-  
lus Jacobus c. II, 26. eloqui-  
tur, quod *corpus sine spiri-  
tu mortuum* sit: an hic Spi-  
ritus respiratio, an anima  
rationalis sit, interpretes  
adhuc discrepant; nos ex hermenevtica sacra non  
illam, sed hanc intelligimus, probe consci*i*, quod ab ec-  
clesiasticis, nec non ab ita dictis profanis Scriptoribus,  
quin ipsis etiam medicis πνεῦμα Spiritus, pro halitu  
& respiratione aliquando accipiatur, sicut de Deo Sa-  
cer Codex testatur, quod spiraculum vitarum inspi-  
raverit in nares corporis e gleba terræ creati: quem  
admodum autem hoc spiraculum respectu Dei non  
fuit respiratio, quam insinuatio animæ spiritualis,  
cœlesti & naturali vita & vivificante qualitate prædi-  
tæ, ita respectu hominis non potuit esse respiratio,  
quia illud principium prius fuit extra hominem,

A 2

dein

dein autem homini inditum & inspiratum fuerat: quare πνεῦμα illud animam rationalem esse judicamus; nam foetus in utero homo vivens est, attamen non respirat, inundatores aut mergi, diu sine respiratione vivunt; præterea varia exempla in aquam prolapsorum & aliquandiu in fundo & ventre illius detentorum, aut laqueo suspensorum & suffocatorum per plures horas respiratione destitutorum, ad integrum tamen vitam reversorum, nec non ecstasi aut profunda syncope correptorum, diutius respiratione privatorum & pro perfecte mortuis tractatorum, ad vitam tamen restitutorum: quibus exemplis probamus vitam aliquandiu sine respiratione continuare posse, id quod vero de anima prædicari non potest, quare corpus sine anima nunquam vivum esse potest, sed semper mortuum est: hinc anima & vita in stricta correlatione subsistunt: quamprimum corpori Adami spiraculum vitarum inditum fuerat, ibi, & non prius homo erat anima viva: ideo antea corpus non fuit vivum, alias almus creator non inspiraverit animam vitarum; quamprimum Propheta Elias super puerο viduę mortuo Jovam invocaverat, rediit anima pueri, atque ita revixit, non prius: ita etiam ossa in visione Ezechielis non prius viva facta fuerant, quam cum Spiritus ea afflaverit; ita enim Jova dicit c. 37. v. 6. ego vos immittam spiritum, quo reviviscatis &c. conf. VALLESIUS in Philos. Sacr. c. 4. Spectat hoc effatum Jobi c. 33. v. 4. me omnipotentis Dei Spiritus adfatusque fecit, ac vita donavit. Id jam antiquissimi

quissimi ethnici philosophi agnoverant, teste *Plutarcho ap. Stobaeum Serm. 63.* *Corpus nisi anima uteretur, non viveret,* dicente; misere itaque torquent & corrumpt nonnulli Scripturam & historiam creationis, quando afferunt Deum prius vivum corpus creasse, & deinde demum infudisse animam rationalem, ut *Barthol. Corte somniavit*, rationem hanc adducens, quia Deus *Genes. i. v. 24.* dixit: jussit Deus ut terra ederet animantium genera . . . sed mox sequitur, fecitque Deus diversa genera terrestrium ferarum, conf. *Aet. Er. Lips. An. 1703. Octobr. p. 470.* sed cum haec ratio nihil plane probat, quod probare debet, ita eo minus consequentia ab animalibus brutis ad hominem, qui ad imaginem Dei creatus fuit, valet: recte *Beda* teste *Tautero Dom. 3. Trinit. Conc. i. p. 879.* dixit: *impossibile esse corpus sine anima vivere:* *SEB. SCHMIDIUS* in *Genes. ii. v. 7. p. 24.* inquit: *formavit Deus hominem;* b. e. *eum,* qui fieri & esse debebat homo; *non enim totum hominem,* sed *corpus tantum hominis ex terra fecit:* animam ita fecit & conjicit terreno, mortuoque corpori, ut spiraverit eam, tanquam animam vitarum, b. e. *non tantum per se immortaliter viventem,* sed & *corpus vivificantem:* pertinet huic allegatio *DE DEKENNI Consil. Theol. append. nov. ad Vol. I P. 2. Lib. 1. Sect. 1. n. 4. p 149. a.* licet anima brutorum non sunt post eorum materiam creatæ, sicut Adam formato prius corpore exanimi, postea indito spiraculo vita, factus est in animam viventem: aliter sentit *CALOVIUS*, quasi Deus eodem creationis momento, quo corpus Adami creavit, etiam animam ejus &

imaginem suam indiderit, quod quidem WERNSDORF in *diff. de primi hominis statu* p. 9. 10. negat, sed alium indistinctum sensum substituit; ita assertens: neque etiam cum Pareo & Canonistis statuere ausim, Deum formasse exanime, humijacens, instar trunci, sensus & motus expers, donec statum inspiravitis per narres, ita ut inter corporis productionem & anima inspirationem mediocre intervallum temporis intercesserit. Deum tamen in condendo Microcosmo perinde ut in Macrocosmo nonnullum ordinem sapientissima sua libertate servasse nolim cum Becono, Calovio & aliis simpliciter negare: dissertius judicat HENR. MÜLLER in *Dank-Altar* 61. Andacht p. 124. ad fin. homo prius (videlicet quoad corpus) fabricatus, dein animatus fuerat: THEOPH. ALEX. THÆUS, (JER. FRIDERICI) Tom. V. der Erleuterung p. 640. ita sentit: quod Adam ante inspirationem animæ humanæ, vita animali, aut anima sensitiva & vegetativa prædictus fuerit, quia homo & Adam vocatus fuit; sed in libro creationis cap. 1. generatim consultatio & institutio divina, cap. 2. autem ordo hujus creationis recensetur: & quia anima sensitiva & vegetativa non entia, & tantum notiones nominales, aut ideaæ siæ sunt, ideo nec hæc opinio sensu divino accommodata est: pertinet hoc assertum P. ZACCHIÆ in *Qu. med. leg. Lib. 9. tit. 1. qu. ult. n. 134.* Adamus, ait, in creatione per inspirationem accepit animam rationalem & simul facultatem vegetativam & sensitivam. Vix enim ulla cogit necessitas entia & animas præter necessitatem multiplicare: quem errorem Aristotelicum jam multi rejecerunt:

quare

quare idem ZACCHIAS l. c. n. 104. inquit: *Anima rationalis simul sentit & vegetat, & unica non triplex est anima, conf. SENNERTUS Hypomnemata Physico IV. c. 6. p. m. 129. edit. in fol.* idem disserte testatur DANNHAUER in Laet. Cateches. P. IV. conc. 12. p. 347. 349. 355. 356. & B. SPENERUS nervose dicit: in prafat. ad Balb. Kopken contr. Büchner. vid. illius Erste geistl. Schr. P. II. p. 395. der Mensch hat nur eine formam, nehmlich seine Seele, die hat auch in gewissen Verstand eine einige Kraft (videlicet operatricem) wie sie eine einzige Seele ist, daraus alle ihre Wirkungen kommen: es kan aber auch solche Kraft in mehrere unterschieden werden, in die Lebens- Nahrungs- und Wachstums- Kraft, vis vegetativa; in die sinnliche Kraft, vis sensitiva, deren jene sie mit den Pflanzen, diese mit den Thieren gemein hat: in die vernünftige Kraft, vis rationalis, die dem Menschen eigen ist &c. quare cum SENNERTO l. c. c. 13. sentimus: *inveniemus veritatem maxime consonaneum esse statuere in homine unum esse animam rationalem felicem, virtutibus ramen omnium inferiorum esse instructam & facultate sentiendi & vegetandi esse praeditam.* Eximia itaque atque mirabilis est unio animæ rationalis cum suo domicilio, siquidem sine hoc in hac naturali vita & spectabili mundo nihil efficere potest, hoc autem sine illa mortuum est: nec propter ea hanc exquisitam & efficacem unionem negare debemus, quia modum fiendi non crasso conceptu intelligimus æque ac modum formationis & compositionis idearum non cruda reflexiva cogitatione comprehendimus: interim utrumque ipso effectu  
con-

contingit: sicut **TAULERUS** domin. *Quosimod. conc.*  
 2. p. 535. confitetur: der Mensch kan nicht verstehen, wie  
 die Seele mit dem Leib vereinigt ist, und wie sie den gan-  
 hen Leib beweget und træget, auch in einem jeden Glied son-  
 derbahre Würkungen verrichtet. Nihilo tamen secius  
 tractatio de hac unione notatu perquam digna est:  
 & hæc contemplatio animum nobis excitavit, ut  
 præsenti inaugurali Specimine **SANGUINIS ET**  
**ANIMÆ NEXUM** ampliori scrutatione evolva-  
 mus & explicemus: quod propositum, ut cœlestis  
 rerum humanarum moderator almo suo auxilio  
 prosequatur, calidissimis votis contendimus.

## §. I.

**Q**uando de *sanguinis* & *animæ* nexus præsenti  
 argumento differere cogitamus, tunc *præli-  
 mmari* studio quædam indicabimus, quæ ad  
 thematis illustrationem spectant, licet *nori-  
 ones* aut *notationes nominales* in themate nec  
*obscuritate*, nec *ambiguitate* laborent. Apud *antiquos  
 Medicos* & *Philosophos* non tam *unio*, quam *confusio* ani-  
 mam inter & sanguinem occurrit: *Seocii* animam san-  
 guine nutritri edifferuerunt: **HIPPONCRATES** *Lib. de Corde*  
*ſ. 8. l. 11. 12.* sanguinem animæ pabulum esse dixit, quod  
 probare vult **GALENUS** *Lib. 3. de decret. Plat. & Hipp.*  
*conf. SALMASIUS comm. in Simplic. p. 178.* Per animam  
 removite non intelligimus ens quoddam *corporeum*, sum-  
 mæ subtilitatis & æthereæ velut essentiæ, sive per *san-  
 guinem* dispersum, sive in genere *nervoso* fluctuans, sive  
 in *cerebro* oberrans; unde quidam animam *animantium*  
 intel-

intelligere volunt, quæ cum *corpo reciprocum* communicationem habere traditur: plane nonnulli *spirituosam, balsamicam, volatilem, redam sanguinis* portionem, quippe tam purissimam, quam efficacissimam, optimam, intimam & concentratam ejus substantiam depraedicaverant, proptereaque ipsum *talem sanguinem animam* vocaverant, imo ad Sacrum Codicem provocaverant, qui aliquoties *animam, sanguinem & vitam* pro *synonymica* notione accipit; quem significatum vero D. D. PRÆSES in diff. de *Hæmatologia* latius explicavit, dum *sanguis* æque ac *cor & renes* juxta biblicum modum loquendi, quia *singulare animæ instrumentum* esse possunt, pro *animæ* *improprio metonymico* sensu, quippe *adjectum pro subjecto*, accipitur: hinc per *prosopopœiam* sanguini facultates *animæ* tribuuntur: velut Genef. IV. Apoc. VI. & alibi, id quod multi integerrimi Theologi testati sunt, quod alibi latius indicatum & explicatum est: quia igitur inter *sanguinem & animam* tam *singulare* intercedit *commercium*, ideo antiquissimi philosophi, velut *Critia, Diogenes, Empedocles, Plisto* aliisque *sanguinem pro anima* habuerunt, eidemque *facultates animæ* convenientes, velut *sensationem* adscripterunt: quare non *sicutiam* *animam materialem* agnoscimus, sed potius *unicam hominis incorpoream, rationalem* ita dictam, mente, i. e. *intellectu & voluntate* præditam intelligimus, quæ *immortalis* illæ *spiritus* a Deo creatus & corpori, *mechanicis aut instrumentalibus qualitatibus instructo*, inditus atque *unitus* existit, qui generatim *facultate motrice* gaudet, qua imprimis *operationes mentes*, deinde vero varias *functiones* in & cum *corpore & sibi & corpori*

B

utiles

utiles & necessarias administrare & potest, & debet & solet. Præter hanc animam in homine non datur alia materialis & simul irrationalis, ita per analogiam nominata anima, quæ tamen tales operationes perficere dicitur, quales a ratione separare, nulla sobria permittit ratio, velut sentire, appetere, vigilare, diversa membra ad certum scopum movere & dirigere. Notionem Nexus in præsenti argomento quod concernit, tunc illa cum synonymico notatione commercii, unionis, influxus activi aut physici, actionis, operationis ita convenit, ut denotet animæ rationalis operationem mediantibus idoneis & congruis instrumentis in subjectum materiale & hoc respectu in sanguinem; deinde involvit etiam sensus illius nexus animæ relationem erga objecta materialia, horum affectionem, comparationem, conciliationem, perceptiōnem, applicationem, tolerantiam, sensitivam observatiōnem, & diversam modificationem & actionem, cum hisce qualitatibus & respectibus cohærentem: ob id hic Nexus est actio & passio, ratio & relatio, quæ inter animam & corpus, mutua receptivitate diversis effectibus & mutationibus intercedit: haud vero abstractiva aut metaphysica est affectio, sed realis, naturalis aut physica, qua anima immaterialis cum corpore suo aliquando quoad rotum, interdum quoad varios partes communionem operationis & passionis init. Quis enim non obstupesceret, si hanc assertionem primo intuitu observat, animam, quippe ens simplex, pondus unius & alterius centenarii, in altissimas transferre & gestare distantias; si vero vel mente, vel oculis conspicit tabellarium, mantica ponderosa oneratum & incurvatum, super montosa loca progredientem,

tunc

tunc haud facile de veritate prioris asserti dubitabit. Quod denique ad *sanguinem* attinet, tunc illius definitio hoc loco supervacanea esset: id vero significandum est, nos non strictiori significatu portionem illam humorum *rubicundam*, ab aliis humoribus discretam, sed *mossam* sanguineam & hujus quidem, *non solam* substantiam, *matrem*, & *qualitates* nudas, sed etiam ejus *quantitatem*, *motum*, variam *mutationem* quoad hanc affectiones *physicas* intelligere, sub *relativo* habitu ad *morum*, *loca*, *organis*, *officis*, *ordinem*, *gradum*, *tempus*, destinationem, usum, applicationem &c. Et has annotationes, quoad tituli enucleationem præmittere placuit.

## §. II.

Multiplex quidem animæ unio aut nexus cum proprio suo corpore, quoad fluidas æque atque solidas partes occurrit: hoc themate vero præc. *nexus* ejus cum *sanguine* selegrimus: brevibus autem & quasi *biforice* illius diversum *nexus* cum suo *corpore* præmittre & indicare lubet: hec igitur *unio animæ* occurrit cum variis corporis *organis*, cum diversis *functionibus*, ad *economiam naturalem* spectantibus, & cum nonnullis *humoribus*, variis usibus in corpore humano destinatis. Quoad primum respectum anima suo *cerebro*, velut *proprio* suo laboratorio aut *officina* mentis utitur, in quo organo *ideas* format & generat, ordinate conjungit, rationem aut intellectum de iisdem conficit, talēm idearum seriem atque sensum sibi *præfigurat*, de multiplici idearum statu, nexus, congerie *ingeniose* varia sibi concipit, de earundem idearum relatione, comparatione, destinatione & applicatione *varia* estimatione quicquam sentit atque *judicat*, & ita

etiam cum memoria, voluntate, sensatione, deliberatione, appetitione, tatio, aversatione &c. procedit, id quod D.D. PRÆSES in der *Medicinischen Betrachtung vom Unterscheid der Kräfte der Seelen* scilicet latius explicavit. Ad hoc itaque officium anima suo *cerebro* utitur, quod propterea *saluum* & *integrum* cum suo *involutuero* esse debet, quia cum *laeso*, destructo, mutato & *corrupto* instrumento, nulla idonea & legitima actio perfici potest. Porro *luculenta unio* animæ cum *organis sensoriis externis* occurrit, quando ipsa hæc organa *congrue* & *rationaliter* ad *objecta* applicat, hunc usum etiam accurate, distincte, acute, strenue, assidue, celeriter, vegete, provide, jucunde, aut *contrariis* qualitatibus instruere & dirigere, præterea organis excepta *objecta*, rationaliter percipere, observare & mox comparare, aestimare, dijudicare & applicare potest & solet. *Manifesta* præterea animæ *unio* cum *lingua* & *trachea* motu & modificatione occurrit; *ipsa* enim & *non machina* corporis *voces* & articulatos sonus cum *salvis* instrumentis format, quas rationaliter regit, intendit, auger, minuit, componit, & cum iisdem animi sui sensa aliis exprimit, indicat & communicat; in *bac* autem unione *sibi ipsi* quadantenus *ignota* est, dum non concipit, quo modo hasce voces formet & informet, attamen *rationaliter* & *arbitrarie* hunc actum perficit. Non minus unionem haber eadem anima cum *musculis* ad *deglutitionem* & *respirationem* conficiendam necessariis, quos anima *voluntarie* quidem moveret, sed in *boc* negotio *sibi* etiam *non conscientia* & *memor* est, quando & quo modo illud perficiat: Si quis itaque questionem hanc moveret, an anima

ma rationalis musculos *cephalopharyngaeum*, *sphæno-*  
*pharyngaeum*, *stylopharyngeum*, *oesophagæum*, *ge-*  
*nioglossum*, *ceratoglossum*, *styloglossum* &c. movere  
 possit, is facile illam pertinaciter *abnegaret*, nisi *deglu-*  
*titionis* actus contrarium edoceret; idem etiam sentien-  
 dum est, de *masticatione*, *oscitatione*, *palpebrarum aper-*  
*tione* & *occlusione*, *oculorum multiplici conversione* &  
*flexione*, *maxillæ inferioris mobilis*, *labiorum oris*, *colli*  
 & *capitis diversa commotione*, *pulmonum profundiori*,  
*majori*, *longiori*, *tardiori*, *celeriori expansione* &c.  
*Singularis* etiam *unio* & *communio animæ cum corde*  
*contingit*, *disponentibus* & *intercurrentibus variis mo-*  
*ribus*, *inclinationibus*, *positionibus* *animi* & *bæreditoris*  
*qualitatibus*: quid valeat *voluntaria respirationis cohi-*  
*bitio* ad *diaphragmatis modificationem* sub *singulu*, *ple-*  
*beja* & *quotidiana comprobatur experientia*: nec deficiunt  
*momenta*, quibus *animæ unio cum ventriculo probari*  
*poteſt*, quando videlicet *alimenta* & *potulenta* cum *ap-*  
*petitu*, *voluptate* & *desiderio*, aut cum *faſilio*, *aversa-*  
*tione*, *naueſa*, sub *lætitia* aut *mœſtria* ingeruntur: Ita  
 porro *unio animæ cum intestinis* in *sequentibus appa-*  
*bit*: quo referri potest similis *harmonia* cum partibus  
*genitalibus* utriusque *sexus* sub *lascivis concupiscentiis*;  
 ut nihil dicamus de *illo nexus* & *influxu animæ in specia-*  
*les partes*, *musculos*, *membranas*, *nervos* &c. in *indi-*  
*vidualibus operationibus*, quo vel *peculiaris corporis*  
*exercitatio*, vel *bæreditoria dispositio*, vel *extraordina-*  
*ria certorum muscularum præsentia*, contribuit, ut  
 quidam *homines* vel *insolito modo* *nares ringere* & *con-*  
*trahere*, *aures movere* & *erigere*, *cutem* *cranii* *antror-*

sum & retrorsum movere, cutem totius superficie corporis, sicuti equi, concutere, vertebrae dorsi & thoracis arbitrarie extendere, & rotam mensuram corporis aut elongare aut abbreviare possint, quæ specimina ad sensum animæ unionem cum plurimis organis corporis humani comprobant.

## §. III.

Deinde datur etiam commercium animæ, cum discrepantibus partibus fluidis; quod nunc pariter nonnullis speciminiis indicare & probare lubet; haud quidem mox ad nexus animæ cum sanguine provocamus, quod argumentum præsentis tractationis est: proinde etiam nexus animæ cum fluido nervo fictitium, imaginarium, nec ulla sobria ratione concipiendum, dijudicamus; dum hoc usque nondum ulla probabili ratione indicatum fuit, an tale liquidum nerveum a primo creato homine unquam in rerum natura aut ens reale & existentiale fuerit; dein an anima absolute necesse habeat intermedio tali fluido agere in corpus; præterea an & unde ullibi aut in ratione aut revelatione illa necessitas probari queat, quod anima non aliter nisi mediante hoc fluido in corpus agere queat, debeatque: nam ad effectum provocare, & ex simplicitate essentiæ in anima ad impotentiam influxus intermedii activi hujus in corpus provocando concludere velle, crassam olet petitionem principii, nec scintillam demonstrationis complectitur: Quanta yicissim communio animæ cum bile sit, varii effectus & affectus ex immoderato desiderio, magna iracundia & gravi terrore orti, ad sensum comprobant: ita etiam in omnibus subiectis, precipitis activitatis, accelerata resolutionis, impatientis

patiens & in excessus facile propendens animi, semper  
 bilis volde commovetur, adeo, ut vel ex *actione animae*  
 in hunc humorem, vel hujus supposita reactione in  
 animam ubique utriusque nexus emineat, haud sitem  
 hoc loco moventes, evolentes, & decidentes, utrum  
 rationi magis congruat causam *principaliorum*, qualis  
 anima est, agere in *minus principalem*, uti *corpus*, an vi-  
 ce versa; imprimis cum energia *animae* in *corpus* sit *de-  
 monstrativa*, hujus vero in illam reactio nudis *supposi-  
 tionibus* nitatur: interea impudens, ridicula & frivola  
 esset postulatio, non aliter hanc unionem agnoscere &  
 concedere velle, quam si anima pro *natu* & *arbitrio*,  
 deinde *proxime* in *sua prima sede* bilem movere posset;  
 dum *ordines actionum* humanarum quoad *objecta* & *fines*  
 suos non *indiscretim* sunt *universales*: quod vero *semper*  
 sub iracundia & *upplurium* sub terrore bilis commo-  
 veatur, indicat *specialiem* *nexus* *animae* per *talem* *patheticam*  
*mentalem* *commotionem*, cum *hoc* *humore*. Præ-  
 terea peculiaris intercedit communio inter *appetitum*  
*gratum* & *ardentem*, ut & *nauseam* arque averfationem  
*gustus* cum *Salivali* *humore*, sub quibus animi *affectioni*  
*nibus* hic humor largius intra fauces affunditur, etiam si  
*nullæ* *commotiones* *maxillarum* & *glandularum*, *salivæ*  
*secretioni* & *collectioni* *destinatarum*, *compressiones* præ-  
 aut *successerint*: quo *ardentior* itaque *appetitus* edendi  
 est, eo *copiosius* & *celerius* hæc *saliva* os humectat, ut  
 proper plebejum sensum & usum natum sit proverbium,  
 es wässere einem der Mund wornach: nunc autem *appeti-  
 tus* in homine est *rationale desiderium*, adeoque *operatio*  
*animæ* in homine, quæ quoad *formalem* suam causam

ab

ab aliis extraneis causis impellentibus, allicientibus & seducentibus distingui debet: inde autem liquet, *animam rationalem* cum hoc humore unionem habere, quæ vero non in illius *cogitationem* & liberam *voluntatem* cadit, quia actio mixta est, quæ cum *corpore* proprio humano procedit, & non nude *mentalis* aut moralis existit. Addimus adhuc tertium exemplum unionis animæ cum *natura*, aut humore *seminali*, quæ sub vita *voluptuosa*, lasciva, *libidinosa* admodum innotescit; qua de causa apostolus hortatur, ne carnis curam gerant, cupiditatibus indulgendo *Rom. XIII, 14. conf. Deut. 32. v. 15.* quantopere enim hic humor commoveatur sub concupiscentiis, desideriis & imaginationibus *libidinosis* crebræ pollutiones abunde testantur: & notatu digna est *animæ attivum* commercium cum hoc humore, & vicissim hujus humoris partim *abundantia*, partim sic dicta *spirituosenzia*, acris intemperies & *orgastica* commotio, affectum *lascivia* irritans & *alliciens*, quæ in nonnullis subiectis, affectu voluptatis alias inherentibus, *insanum amorem*, imo plane *maniom* provocavit: quo etiam illa disquisitio pertinet, *an in negotio generationis communicetur semen animalium*: quod multi medici & philosophi affirmant. Et haec eminentia & evidentia sunt documenta, quæ *animæ* unionem cum *fluidis* partibus testantur: inepta vero utique esset objectio, quod cum hisce humoribus anima nullum commercium habeat, quia non cum *omnibus* earum talem communicationem ostendit, aut quia non *promiscuo* affectu & effectu cum prædictis humoribus procedere potest, velut cum *bile* mediante *appetitu*, cum *semine* mediante *ira* & *terrore*, cum *saliva* mediante *libidine*:  
quod

quod æque ridiculum ac futile esset postulatum, ac si negaremus, asimam non cum oculis videre; quia cum illis audire, olfacere & gustare non potest &c.

## §. IV.

Superest *tertium* momentum, quod videlicet *anima rationalis* cum variis *functionibus vitalibus & naturabilibus* unionem habeat; nam de *animalibus* sic dictis functionibus, vix quisquam ulla sobria ratione dubitare poterit. Quod *integritas mentis* cum *integro & illo* officio *cerebri*, videlicet legitimo humorum motu & progressu, temperato, constanti & æquali transitu, secretionum congruo ordine & statu, debita vasorum & pororum permeabilitate &c. connectat, in *positivo & opposito* respectu facile liquet: quid mentis *alacritas, jucunditas, serenitas, hilaritas* ad *cerebri sanitatem, & bujus infirmitatis, alteratio, laeso, ægrotatio, ad mentis mutationem* conferat, quotidianis exemplis constat: quid compositi, *tranquilli, ordinati, moderati, grati & contenti mores* ad *cerebri sanitatem* conferant, æque innumerâ confirmant testimonia: quid contra timor, miceror, angor, dolor, ærumna &c. ad enervandum, *turbandum, offendendum & alterandum cerebrum* contribuant, multa testantur exempla. Idem etiam sentiendum est de *unione animæ cum corde*, si duntaxat *mores, inclinationes, & affectus animi* cum *motu cordis* conciliamus, unde innumera & *quotidiana* documenta veritatem assertioris nostræ probabunt: de martyre quodam, innocenter ad rogum condemnato, referunt historiæ, quod ante supplicium modo subeundum a præsente injusto judice pectorit, ut prius ejus, dein proprii sui cordis pulsuum attingeret,

C

tingeret,

tingeret, & exploraret, quodnam tranquillus & sedatus se moveret, ubi expertus est sancti martyris cor summa temperie instructum fuisse: Si vicissim in corde *vicia*, polypi, stagnationes, spasmi, malæ conformations, læsiones &c. adsunt, tunc hæ mutationes iterum ad *angores*, lipothymias, *melancholiā* aliasque mentis alterationes contribuunt. Nec difficile erit similem unionem *animæ* cum motu & officio *pulmonum* demonstrare: ad sensum enim apparebit, quomodo *respiratio* comparata sit sub *gaudio*, *lætitia*, *jucunda conversatione*, grato desiderio, aut *metu*, *anxietate*, *timore* &c. sicut contra *indurations*, concretiones, malæ conformations, stases, inflammations, exulcerationes &c. pulmonum non raro ad varias *mentis* perturbationes ansam præbent. Tantummodo ad quotidianas observationes animum dirigamus, facile tunc intelligemus, quid sibi velint exclamations, ich bin also erschrocken, daß mir das Herz im Leib erkaltet, die Haare zu Berg gestanden: ich bin also in Zorn gerathen, daß mir der Bissen in Mund gequollen, den ich nicht hinunter bringen können. Tale commercium etiam observatur *animæ* cum *concoctione*, quando multi sub conversatione *amicorum melius* appetunt, liberalius ingerunt, citius & facilius digerunt: quid contra efficiat, si homines sine grata attentione, alienis profundis, abstrusis, confusis, tœdiosis, &c. cogitationibus tenaciter inherentes, ingestos cibos ægre concoquunt & nihil inde roborantur atque nutrituntur. Ex altera parte vero facile patet, quantum *digestioni conferat* cum *deletioratione*, suavitate, tranquillitate & jucunda attentione cibos ingerere: quid contra fastidium, nausea, invidia,

vidia & similes affectus ad *turbandam* concoctionem contribuant, abunde constat: Non minus *unio animæ* cum negotio *sanguificationis*, colligendæ *plethora*, corporalentiæ &c. æque facile innotescit, quando quidam homines vitae genus quietum, *tranquillum*, jucundum, fortunatum, gaudio & hilaritate plenum, servant, ita, ut si alii tam athletice valentes mirantur, hanc causam allegare sciant, er hat gut machen, es geht ihm nach Herzens Wunsch, hat keine Sorge, hat die Hülle und Fülle, lebt herrlich und in Freuden. Subinde multa constant documenta, quæ unionem animæ cum *se- & excretionibus* comprobant: quando ordinata, *moderata* & *quieta* animæ qualitas *oprimos* harum functionum successus pedissequos haber; quando *iracundia* affectus omnes excretiones *impellit* & *præcipitat*, *terror* vero *repellit* & *sufflaminat*, *mæror* & *timor* *retardat*, turbat & coercet, *gaudium* & desiderium invitat & promovet; sic *iracundia* strenuas excretiones *sanguinis* & *bilis*, angor turbulentam excretionem seri, aut *sudoris frigidæ* &c. causatur: & quorsum referri merentur illæ exclamations, der Zorn oder Schrecken schlägt mir gleich in Magen oder Gedärm, daß ich mich gleich brechen oder zu Stuhl gehen muß. Quanti autem ponderis in explicaadis talibus effectibus sit provocatio ad certam, illam autem omnibus *ignoram* & credulitate tantum effectam & *suppositam*, *dispositionem* corporis mechanicam, id non meretur multum refelli. Quid commercii intercedat *animam* inter atque *nutritiōnis* functionem, *sensibiliter* satis constat: nam qui quieto, *tranquillo*, jucundo & contento animo gaudent, illi *vere*, facile & ordinate nutriuntur, & vice versa, quando

homines *invidia*, fastidio, *moresitate*, perturbatione, confusione aliisque *adversis* affectibus vexantur, licet *largiter* cibos ingerant, *parum* tamen corporis *accrimento* augescunt: inde dieteria manētēne vor Zorn und Zankſucht nicht gedeihen. man fresse sich vor Neid und Gram das Herz ab, ein blöder Hund werde nicht seit: Unicum adhuc idque memorabile specimen *Nostalgia* annētūmus, in quo *animæ* unio cum *fluidis* & *solidis* partibus, nec non *variis functionibus*, ad teconomiam *vitalēm* pertinentibus, dilucide observari potest: Non possumus, quin unionem *animæ* cum negotio *Generationis* indicemus, quoad actum *fœcunditatis*, *conceptionis*, gestationis, *assimilationis*, formosæ aut monstrosæ formationis, imo plane *partus*, ubi consensus ac dissensus animorum, morigera & *moderata* indoles, requies, tranquillitas & continentia mentis, *imaginatio*, affectus *pathetici*, amēti & adversi &c. multum in hoc negotio valent: quod argumentum peculiari eoque ampliori tractatione explicari potest.

## §. V.

In compendio huc usque variis momentis atque respectibus nexus aut unionem *animæ* cum corpore indicavimus; nec necesse duximus longiori sermone & demonstratione ad conspicuos *motus voluntarios* corporis provocare, in quibus satis *crasse* & ad *sensum* influxus *animæ* *actus* in multiplicita corporis sui membra inclaret, qui tamen etiam certis *ordinibus* atque *legibus*, nec non *limitibus* exactis tam in genere, quam quoad individua circumscriptus est. Et quid de illis motibus dicamus, quos nonnulli homines, præ multis aliis longiori

giori *usu* & crebriori *exercitatione* edocti, saltando, exultando, saliendo, funambulando, manibus deambulando, præstigatoria petulantia varia membra exercendo, & quod magis est varios morbos, ecstases, deliquia animi, mortem &c. simulando, committunt. Quanti etiam *ocuminis*, ingeniositatis & ponderis sit assertio, quod anima tantum ad *destruendum*, offendendum & *perurbanandum* corpus potestatam habeat, *hanc* vero ad *dirigendum*, adjuvandum & *salvandum*, id vel levi intuitu agnoscere potest, insuper sc̄pē alibi discussum est. Ut autem ab hac consideratione proprius ad *argumentum* nostrum accedamus, demonstrandum nunc erit, quod eadem *anima rationalis* etiam nexus habeat cum *sanguine*; hic nexus autem comprehendit partim *actionem in sanguinem* transeuntem, partim *receptivitatem ex sanguinis* diversa qualitate provenientem. Et ira quidem anima cum sanguinis *quantitate*, *qualitate*, *motu* & *usu* s. officio commercium haberet, quæ momenta nunc paulo amplius & clarius evolvemus. Quod ad *quantitatem* sanguinis atinet, tunc pro ratione *araxis*, *sexus*, *temperamenti*, *moderata* illius copia *animi* etiam *vigorem* naturalem & *temperatum* adjuvarat, sub qua temperie nec *crebri vasa*, nec *alia organa* nimis *onerata* sunt, ideo nec molestias & vexas, nec dolores, nec *alia sensationem* turbantia incommoda oriuntur, quæ animam æque molestie afficere, & ad varias turbas seducere & allucere possunt & solent. Sub *modica* enim sanguinis *quantitate* *omnes functiones vitales* & *naturales* facile, libere, *ordinate*, constanter & æqualiter procedunt, ut propterea *sanitas naturalis* optimo *vigore* prædicta sit, in quo *corpore*

*sana mens etiam sana existit, ideo de tali sedato & tranquillo statu vitae naturalis anima maxime gaudet suasque proprias operationes prompte & expedite administrat; moderata enim naturae sunt amica, non tropice loquendo, sed ex ipsa circumstantiarum conciliatione judicando: quicquid enim interne vel externe corpori molestum est, id corpori non interest, quod nil curat an sit integrum, an destructum, nec corpus illas alterationes & offensiones percipit, quia in materiam non cadit facultas percipiendi bonum & malum, gratum & ingratum, salubre & insalubre: ergo anima rationalis utrumque & molestum atque adversum, & incommodum atque jucundum sentit. Quando vero sanguis quantitate superfluus, nimius & abundans est, ut vires individuales aggravet, canales nimirum impletat & distendat, organa ultra modulum oppletat & expandat, functiones impedit & retardat, tunc multiplices adversa sensationes inde excitantur, eaque propter anima in plesboricis quoad suas affectiones facile torpescit, fastidiosa, somnolenta & tarda redditur, si quicquam suis viribus suscipit, facile languescit & quietem magis querit: anxias noctes, insomnia talia experitur, quæ cum sanguine operosa sunt, velut de incendiis, sanguinis profusionibus, rebus rubicundis, vulnerationibus, cruentationibus, imaginibus rubicundis coloribus praeditis, crista galli, animalibus rufis &c. id quod suo jam tempore Hippocrates, Galenus, Celsus & postea innumeri medici annotarunt, quos latius allegare instituti nostri ratio haud permittit, a D. D. PRÆSIDE vero in diss. de insomnia infuxu in sanitatem & morbos actum fuit.*

Si

Si porro sanguis quoad *quantitatem deficit*, variæ animi *alterationes* oriuntur, velut *imbecillitas*, quoad omnes operationes mentis, *animi deliquia*, tedium & impotencia quoad omnes actiones mentis serias, perturbationes mentis *deliræ*, somnolentia, *sopores*, sicut in *prodigiis hæmorragiis*, aliquando in *immodico lochiorum fluxu*, nimia fame, diuturna inedia accidere solet: prout etiam crebræ & simul largæ hæmorrhagiae, frequentia pueraria & conjunctæ lochiales profusiones satis liberales, mentis *imbecillitatem* causantur: unde in *facto* liquet animam cum sanguine etiam deficiente nexus servare.

## §. VI.

Præterea anima cum *qualitate* discrepante sanguinis eminentem etiam *nexus* offert, & quidem respectu *crasos* & *consistencie* illius. Quoad *mixtionem* sanguis aut præter naturam *intemperatus*, aut naturaliter *purus* est: Si congrua & relativa puritate atque *temperie* gaudet, tunc *sensibiles* cerebri partes membranose & nervosæ, *gratae*, temperata & placida sensatione instruuntur, imo singulae *in* & *externæ* partes sensibiles leni, molli, grata & quieta perceptione gaudent, sub qua *anima* æque *placide*, tranquille, ordinate & moderate suis operacionibus fungitur: æque ac in simpliciter mentalibus & moralibus, anima non offensa, irritata, commota, nec aduersa alteratione provocata officia sua commode, promte & moderate perficit: dum contra sanguis *intemperatus* & præcipue acris omnes partes sensibiles moleste & adverse afficit, insuperque nunc dolores, nunc spasmos, modo ardores, pruritus, arrosiones & ingratos stimulos causatur, quæ alterationes animum etiam afficiunt, & ad

ad varias ataxias, impatientiae, incontinentiae, sollicitudinis, immorigerae repugnantiae, angoris &c. disponunt: nam si quædam partes juxta communem confessionem & concessionem *sensibiles* sunt, si juxta formam & naturam rei sensatio, perceptio boni & mali, grati & adversi est, ideo *partes affectæ non sentiunt*, sed *anima sentit*, quo gradu alterationis partes afficiantur. Quemadmodum etiam sanguis in quibusdam subjectis vel *multa bile*, vel superflua *pirtuita* abundat, ita in talibus subjectis mores etiam animi discrepant, in quantum *sanguis biliosus* partes *sensibiles* magis *stimulat*, & ad intensiores motus concitat, ut propterea tales homines ad *excessus in moribibus* valde proclives & præcipites sint, sicut *pirtuitosus* sanguis *fibras motrices* & partes *sensibiles* valde *emollit* & relaxat, ut talia subjecta simul in operationibus mentis valde *segnia*, tarda, tediosa & *debilia* existant. Et quid dicamus de hominibus, quorum *sanguis scorbutica*, venerea, scabiosa, leprosa intemperie infectus est, in quibus variæ etiam *mentis mutationes* occurruunt. Quando *sanguis virulenta saliva* aut liquore *animalium rabidorum*, *iracundorum*, *venenatorum* præcipue *viperarum*, *serpentum*, *tarantularum*, ne *bombe* ipso etiam excluso, contaminatus & quoad *mixtionem* suam alteratus est, quæ non *mirabiles mentis perturbationes* oriuntur; quo denique referre licet, si *sanguis moligno* misinate *contagiosorum* & *epidemicorum* morborum *pestilentialium*, *perechialium*, petechizantium, *purpuratorum*, endemiorum, popularium depravatus & infectus est, quæ non *sonticæ rationis* perturbationes, *confusiones*, *consternationes*, *angustiones*, *imagi-*

imaginaciones, corruptiones, saltus per *deliria*, varii speciminis, sopores diuersi gradus una connectuntur & concurrunt. Altera *qualitas sanguinis* concernit *Consistentiam*, videlicet relationem & receptivitatem *motus*, qua *mobilitatem* vel faciliorem vel difficiliorem continet: quando itaque sanguis congruum *fluxilitatem* & lubricitatem possidet, tunc *facile* atque libere moveri & circulari potest; ejusmodi subjecta itaque in *moribus fluxilitatem*, pronitatem, instabilem levitatem, lubricitatem, *securitatem*, libertatem &c. exhibent, velut *Sanguineorum hominum mores* & *sanguinis qualitates* consentiunt: Quorum sanguis *nimir* *tenuis*, volatilis, spumeans, copiosis principiis *sulphureis*, ignescibilibus, & *calorificis* refertus est, illi *moribus valde agiles*, *principites*, flagrantes, impetuosi, crudeles, audaces, intrepidi, valde laboriosi existunt, quales *cholerici* homines innotescunt: Qui *Sanguinem* habent *croppum*, siccum, terrestrem, viscidum, nigrum, ægre mobilem, ideoque multis *stagnationibus*, occlusionibus, retentionibus, infarctibus, distensionibus &c. obnoxium, illi *animum* exhibent, *tordum*, timidum, *anxiu*m, suspicacem, sollicitum, dissidentem, omnia mala metuentem, ubique hæsitantem, dubitantem, subsistentem &c. qualis status in *Melancholicis* observatur; in quibus *sanguis* magis *aqua-*  
*fus*, minus generosus, nec sulphureus, plus *piruitofus*, *mucidus*, catarrhosus est, qui omnes corporis partes magis *relaxat*, humectat, *emollit*, enervat, viscositate obducit, ut propterea ipse *motus sanguinis* *lentus*, tardus, *segnis*, *debilis* existat, in illis *mores animi* similis qualitatis sunt, ut modo ante indicavimus; ex qua considera-

D tione

tione judicare licebit, cur pro diversitate anni temporum, tempestatum & mutationum atmosphærarum animus variabilis, wetterwendisch sit.

## §. VII.

Ad illa momenta, quæ unionem animæ cum sanguine probant, referri etiam in ordine debet & potest respectus Motus Sanguinis, qui præcipue in cerebro, corde, & aliis organis quoad ordinem & temperiem, aut perturbationem annotandus est, in quibus ob certam illorum constitutionem & vasorum sanguiferorum dispositionem suspectæ & periculose stagnationes & infarctus, aut perniciose plane stases accidere possunt, uti sunt splen, bepar & uterus: Si igitur in talibus partibus motus affluus, transfluius & refluius aequalis, temperatus & ordinatus est, imprimis in cerebro, velut propria & secreta officina & sede animæ rationalis, tunc operationes mentis æque moderatae, placidae, faciles, & ordinatae sunt: quia in hoc genuino rationis, intellectus & reliquarum operationum laboratorio illa haud alterata, sua negotia quiete, tranquille & expedite peragere potest: æque ac si aliis objectis vel in corpore, vel extra hoc obviis, anima minus offensa & irritata functiones suas perinde aequaliter & moderate perficit: ubi tamen haud concludendum est, quasi talia objecta necessarent, urgant & impellant animam, ut tali gradu operationes suas exercere debeat, dum nulla objectorum materialium actio datur in animam immaterialem, hæc vero mediante motu & sensu cum illis commercium habere potest: & si alterozzi motus sanguinis corpus afficiunt, attingunt & certo gradu, specie, modo, effectu & qualitate

te impellunt, tunc anima in corpore suo *sensitiva*, has alterariones, commotiones & contactus illos, vel crasse & manifeste, vel teneriter & subtiliter percipit; æque ac *externæ* sensationes in multis subjectis valde delicatae, tacitæ, placide, *clandestinae* & subtiles existunt; secundum hanc sensationes autem illa dein actionum suarum ordines, modificationes, *directiones* & applicationes instituit; ita ut *illa* semper suarum *operationum causa* efficiens & director sit; *extronea* vero causæ objective tantum ansiam & occasionem ad ejusmodi actiones contribuant: qualis itaque differentia est inter causam *allicientem* & *efficientem*, talis est inter *animam* & *motum sanguinis*: hic motus si in & per *cerebrum intensior*, vehementior, ardenter, celerior & frequentior est, ansiam præbet, quo *anima* in suis operationibus *aequali* procedat gradu, testimonio *maniae*, *phrenitidis*, inflammacionis duræ meningis, impetuose *congestionis* intra cerebrum, repentina raptus sanguinis *intra caput*; unde varia gravia *deliria*, vel *confusiones* rationis oriuntur, daß man seine Gedanken vergesse, sich nicht wohl besinnen könne, ein schwach Gedächtniß bekomme &c. quando *Lochia*, *Menses*, *narium Hamorrhœgia*, *Hæmorrhoides*, repente & simul ac semel a causa potentiori *supprimuntur*: nec desunt casus, ubi *gravissimi* dolores capitis, hemicrania &c. tales *mentis* mutationes provocaverant; huc etiam pertinet frequens *delirium* sub *aëtu febri* contingens, imprimis quando acutæ sanguinis *congestiones* ad *caput* tendunt: sub ejusmodi *mentis* perturbationibus sæpe turgent venæ in capite, arteriæ vehementer *pulsant*, prominent & splendent oculi, *ruber* facies, *aestuat* frons,

arida & *siccans* est lingua: talis *analogia* rationis confusio conjungitur, si sub *affimate spasmodico*, catarrho suffocativo, angina, spasmus diaphragmatis, gravi flatulenta, fortiori spasmodica constrictione in abdomen *sanguis* valide & largiter *intra cerebrum* compellitur, quod *nimia sanguinis* quantitate obruitur, *impletur* & oneratur: Et quid vulgatum illud dicterium mihi soll eiem den Kopff nicht warm machen, aliud inferr, quam si *auctior sanguinis* motus ad, *intra* & per caput excitatur, indignatio & *ira* inde provocatur: siquidem alias cum *ira*, *desiderio*, *gudio*, voluptate, intensiori spe, concupiscentia, indignabunda invidia *fortior* motus *sanguinis*, largior hujus *ad caput* congestio, major *aestus* & auctior *rubor* in facie, *pulsus auctior* & citior, *venarum inflatio* &c. conjunguntur, quae *evidentia* signa *unionem animae cum sanguine*, quoad *motum*, per *cerebrum* transeuntem, comprobant.

## §. VIII.

Quodsi porro motus ad & per *Cor*, nec non per *universum* corpus *Sanguinem* *fortius* prosequatur, tunc *animus* varias *molestias*, angustias, inquietudines, *turbas*, impedimenta in reliquis *mentis* operationibus, opulationes, *tristia*, modo somnolentiam (bey warmen schlafriegen Wetter) modo somni perturbationem, languorem &c. sentit, quæ perceptiones *rationales* cum prædicto motu *Sanguinis* utplurimum concurrunt: plebejum velut exemplar occurrit, quid *orgasmi sanguinis* & *phlogos* commercii ineant, cum qualitatibus *mortalibus*, unde nonnulli homines aliqualem *rationis confusione* experiuntur: id quod in illis imprimis subjectis contin.

contingit, quæ sanguinem *uberiorem & crassiorem* continent. Quando vero *Sanguis* aut in *Cerebro*, aut *Corde* aut aliis organis, *multis* sanguiferis vasis præditis, *tardius*, difficilius, inordinatus, sub multiplici *stagnatione*, oppletione, distensione, infarctu, restagnatione, undulante & inturgescente alteratione & alternatione progreditur, tunc *animus* varias *rimidas*, sollicitas, tremulas, terribiles, *anxias*, *confusas*, periculosas ideas format, inde etiam *deliria melancholica*, hypochondriaca oriuntur, inde *perverae* imaginationes, ecstases, *deliquia animi*, somnambulationes, *insomnia terribilia*, metus cruentæ mortis, præfigia incarcerationum, turbulentia vaticinia ansam atque originem capiunt: Hæc omnia *sæpius certiusve* eveniunt in subjectis, quorum sanguis *spissior & viscosior* per *vasa cerebri*, per *thalamos cordis* & per *splenem agrius* progreditur, aut plane huc & illuc *polypoſas* concretiones causatur, inde prædicata & accusationes eius schwehrmuthigen milchsüchtigen Geblütes: communiter enim *crassis sanguis*, crassas, densas ita dicendas *ideas*, traurige, tiefe, schwere, furchtsame Gedanken, provocat, schwefles Blut, schwerer Muth; quemadmodum antea de hominibus *melancholici* temperamenti dictum fuit. Cum hac observatione connectit illa *quotidiana* annotatio, quod homines *hyberno* tempore & *frigida* tempestate quoad *mores animi* magis tristes, tardi, *rædiosi*, abjecti, solliciti &c. sint, quo tempore videlicet sanguis *spissior*, ejusque *motus tardior* & impeditior est: vicissim autem tempore *vernali*, *cælo sereno*, & *calore* temperato atque grato, *animus jucundus*, *erectus*, *serenus*, placidus &c. existit, quo tempore etiam

*motus sanguinis alacris*, facilis, promptus, constans & ordinatus, ipse etiam *sanguis* sufficienter *mobilis* & comparet purus atque temperatus est: quam *servidus*, *bilioſus*, *orgasticus*, & *volaxilis* æſtivali tempore *sanguis*, hujusque *motus* valde *auctus*, tam quoad *intestinam*, quam *progressivam* qualitatem est, eo *ardentiores*, acutiores, *celeriores*, magisque *strenui* mores & affectus animi sunt: quando denique *autumnali nebulosa*, pluviosa, *humido-frigida* tempeſtate *sanguis* impurus, superfluis *humiditoribus* præditus, adeoque *catarrbosus* redditur, ita eo tempore *mentis* qualitates laxiores, *segniores*, torpidiores, somnolentiores & *tardiores* observantur, ut propteræ *antiquiores* medici, opinione ducti fuerint, ac si homines quater per anni cursum & tetrachorda *temperamentum* suum immutare soleant, quoniam pro *varietate temporum anni* & *sanguis* & mores quadantenus suis qualitatibus *immutantur*. Si præterea motus sanguinis in *defectu-peccat*, & *debilis*, infirmus ac insufficiens est, ut ob *virium* jaſturam nec per *cor*, nec *in & per cerebrum*, nec per *nobiliora viscera*, nec ad *extremitates corporis* debite propelli queat, tunc *animus* est abjectus, *oppressus*, omnes operationes *mentis* sunt extreme imbecilles, *confusa*, facile *animi delicia superveniant*, affligunt interdum *sopores*, aliquando ingruunt *deliria*, animus a *confuetis* objectis *abstrabitur* &c. Denique ſæpe mutati, perversi, *inordinati*, *turbulenti* motus *sanguinis* ſimiles mores & qualitates in animo causantur, ita, ut si animus *quorundam hominum tumultuarius*, perversus, *confusus*, *inordinatus*, instabilis, profugus est, tales etiam contingent motus sanguinis, & ſi aliunde *sanguinis*

guinis motus ira alteratur, *calibus* qualitatibus animus etiam instructus obseretur.

§. IX.

Superest, ut adhuc de *unione* animæ cum *sanguine*, quoad hujus *usum* seu destinationem nonnullas considerationes & observationes annexamus: quoad hunc respectum nonnunquam motus sanguinis *congestorii* ad quasdam *Hæmorrhagias* contendunt, sive *idiopathicis* seu *symptomatisco* statu & gradu fruantur, imprimis etiam *caput* respiciunt: quare non modo exempla *deliriorum*, ex *suppressa bæmorrhagia narium* ortorum, constant, sed etiam in historia medica casus occurunt, quod ex *Mensium*, *Locbiorum* & *Hæmorrhoidum* suppressione molimina *hæmorrhagica caput* occupaverint, & *rationis confusiones* & perturbationes provocaverint, sicut ex *Hippocratis* annotatione Menses suppressi cum Hæmorrhagia narium alternare solent, quod multæ aliae historiæ, Mensium *insolitas vias* describentes, confirmant; id quod etiam de *Hæmorrhoidibus* significandum est: quando harum fluxus turbatus tales motus *vicarios hæmorrhagicos*, *caput* insultantes *pedissequos* habet. Huc referre possumus *deliria gravidarum* & *puerorum*, quæ pro causa agnoscent statum *plethoricum*, *spissitudinem* sanguinis, insuetam *retentionem* Mensium, perniciosa*m suppressionem* Lochiorum, *perturbatum* motum sanguinis in *utero*, strenuam & vehementem *congestionem* sanguinis *ad caput*, concurrentem *conatum bæmorrhagicum* in *capite* institutum & prosecutum. Pariles *mentis mutationes* obtingunt in moliminiis *bæmorrhagia narium* sub *febrium continuarum* *principie successu* in subje-

ctis

Etis sanguine *superfluo* & valde *tenui* præditis, quales  
 motus hæmorrhagici imprimis suscipiuntur in subjectis  
*tali* ætate, temperamento & adfuetudine instructis, qua  
*spontanea* ejusmodi sanguinis depletio evenire solet; quo  
 etiam *prægressa* *dæta* & *regiminis* ratio, ut & *medica-*  
*mentorum* & *præsentis* *regiminis* conditio pertinet, unde  
 sanguis *intensius* commotus & *orgastica* agitatione  
*exæstuatus*, tali superveniente *molidime hæmorrhagico*  
*profligatur*, cum quo confessim *rales mentis perturba-*  
*tiones* & symptomatica *deliria* aliquando concurrant.  
 Ipse processus *febrilis* ad *pernicioſa* cause & peccami-  
 nosi objecti strenuam *excussionem* destinatus, præcipue  
 cum *sanguinis* motu operosus est, sub quo *intensius* suc-  
 cedente, non raro in febricitantibus variæ *anima* altera-  
 tiones concurrunt, vel enim omnes *externæ* sensationes  
 magis *alacres* & vigilantes sunt, vel *deliria* concursant,  
 vel *multæ vigiliae* coincidunt, vel sub *inquieto* & *turbu-*  
*lento* somno variæ *perversæ* *imaginaciones* formantur,  
 vel sub quolibet *irregulari* motus febrilis progressu mul-  
 tiplices mutationes *in- & externarum* *sensationum* con-  
 tingunt. Huc porro referri possunt peculiares *phantas-*  
*ia* sub somno evenientes, quæ cum *apparatus hæmor-*  
*rhaeticis*, *difficilius* succendentibus in variis subjectis cohæ-  
 rent, qualia *insomnia* versantur circa *objecta rubicunda*,  
 splendida, flammatia, videlicet Solis splendorem &  
 illuminationem, incendia, vestitum rubicundum, cruen-  
 tationes &c. ubi *anima* eo tempore, quo *interna* occu-  
 patio circa *sanguinis* evacuationem operosa est sub ali-  
 quali quiete & *abstractione* ab *aliis*, *externa* sensoria ma-  
 gis afficientibus objectis, *rales* *imaginaciones*, *præsentem*  
 statum

statum & motum *sanguinis* concorrentes, singit. Quod *sanguinis* motus in *resolvendis* stagnationibus & *discutendis* strasibus negotiosus, & vel congestionibus, vel inflammationibus operosus cum *animæ* operationibus *mentibus* satis frequenter connectat, experientia medica similiter confirmat. Quam *sensibilis* perceptio in *animæ* obtingens sit, si cum *meru*, *angore* & *trepidatione* *sanguinis* *artificialis* subtractio expectatur & admittitur, frequenta testantur *animi deliquia*, quæ perperam a *deseatu spirituum* derivantur, qualis *eo tempore* nondum *præsumi* potest, nisi a *perturbato* motu spirituum illam fictitiam opinionem deducere velimus; cum rectius *zal* alteratio *anxiæ* & *trepidæ* *animæ* velut transitoria sensuum & motuum abstractio adscribi mereatur, nisi *osores* & *persecutores* *animæ* plus *fabula* spirituum favere malint. Et quid dicamus de aliis *sensibilibus* subjectis, quæ *sine magna* anxietae tales missiones *sanguinis* tolerant, ast *post V. Snem*, quamprimum *incisio* *deligata* est, ob *alteratum* & *mutatum* *progressum* *sanguinis*, ut & vasorum *sanguiferorum* cavitatum ac diametrorum, nec non *organorum* *sanguiferorum* *immutatam* *implerionem*, donec *sanguinis* motus denuo in temperatum ordinem, statum & gradum reddit, etiam *animi deliquia*, imo plane leviores & breviores *confusiones* *mentis* experiuntur.

## §. X.

Multa haec tenus specimina & exempla *unionis* *animæ* cum *sanguine* allegata fuere, quibus adhuc addere placet *singulares* illos casus, qui ex *hæreditaria* dispositione suam trahunt originem; quo certas *Hæmorrhagiæ* species referimus, quæ a *genitoribus* in *natales* pro-

pagantur, ubi causa non in sanguine morris quæri potest: an vero talis effectus magis materiali causæ, quam immateriali adscribi debeat, huc usque non demonstratum est; an cum genitura porris materia hæmagoga, hac specifica facultate prædicta, & quidem ad *nerves, pulmones, hæmorrhoidalia* loca effectum suum, tunc denum transferens, infanti jam nato & post aliquem decursum temporis communicari possit, nulla coacta & ingeniosa imaginatio scrutari, speculari & demonstrare & illustrare potest: nam dum *materia feminis* ad corporis fætus substantiam nibil confert, cur æque specifica talis & non alia materia a spermate formationi fætus se immiscere debet? ut alias exceptiones & dubitationes multas arduasve non adjiciamus: quoniam vero hæc hereditaria communicatio versatur circa *specialium* effectum, ad *certum locum*, singulari modificatione transiunt, nec non aliquandiu quiescit, ideo *peculiarum* modum, processum atque *ordinem* servat: ita *majori* jure illam *alteri*, quam *materiali* causæ, quæ hosce respectus magis observare potest, adscribimus. Annetimus hisce observationibus intimam aversationem, fugam aut *Antipathiam*, quæ inter *animam* & *sanguinem* intercedit: etenim nonnulli observati sunt homines, qui ne quidem audire potuerant de *sanguine* verba facere, neque etiam illum *aspicere*, quin cito in magnum *animi angorem, confusionem, horrorem, deliquium, faciei pallorem & frigidum sudorem, membrorum rigorem, tremorem & horrorem delapsi sint*: in quo casu minime *sanguini, idealiter & sensualiter* observato, *effectus* alterationis tribui potest, cum rectius ipsa *anima de sanguine tam terribilem & horridam ideam format*

formet & secundam hanc reliquas alterationes proprio  
suo sanguini & toti corpori communicet. Quare itera-  
ta vice judicamus, quod in hac unione *anima*, quippe  
causa *eminentior* & *potentior*, sanguinem *adire* afficiat,  
alteret, dirigat, de eodem varias ideas, *affimationes*, de-  
liberationes, applicationes formet & instituat: illa enim  
potest *movere corpus*, hoc ad varios usus & *fines dirige-*  
*re*, *leve* & *grave* reddere: illa principium, & *essentia*, &  
*præstantia* & reliquis qualitatibus *dignius* est, quam *totum*  
*corpus*: illa in negotio *generationis* primo in *sanguinem*  
& cum hoc operatur: a *postori* itaque sit denominatio:  
*Sanguis* contra *non* habet vim *motricem* propriam & im-  
manentem, nec *medium* habet *afficiendi animam*, nec ul-  
la virtute *animæ* certas ideas communicandi, aut extor-  
quendi prædictus est: nec porro ulla *sobria* & sapiens ra-  
tio redi potest, quod *sanguis temperato* aut *turbulento*  
suo motu *animam impellat*, ducat & *dirigat*, ut suis *men-*  
*talibus* operationibus rite, dextre & *ordinate*, aut per-  
verse, *confuse* & *corrupte* procedere debeat: *Anima* ve-  
ro in suo *corpore* est *sentiens*, quæ propterea & *quan-*  
*titatem*, & *qualitatem* & *motum* *sanguinis* in suo *corpore*  
*percipit*, non quidem *semper crasso modo*, quando san-  
guis *turgide* & *vasa* & alias partes opplet, nimia *intem-*  
*perie* vellicat, & *vehementi*, *rapido* & *impetuoso* modo  
in arteriis aliisque partibus, *pulsat*, trudit, salit &c. sed  
etiam *minori*, *leniori* & *clandestino modo*; sicut etiam  
*externi sensus* saepe perquam *subtiles*, *absconditi*, attamen  
*efficaces* & *vigilantes* sunt: nam *nervi totum corpus per-*  
*vadunt*, nec in *populis* aut *porculosis* suis *extremitatibus*,  
sed in *quacunque* *regione* & *loco* *sensibiles* sunt: præ-  
terea

terea multiplices membranae, tunicæ &c. nervosæ sunt, quibus ne quidem dissentientes & contradicentes sensibilitatem denegant: cui vero usui & destinationi hæc sensibilitas quadraret, nisi internæ bonæ & mala, gratae & adversæ, salubres & insalubres, utiles & perniciose alterationes percipi debeant: sensibile vero esse, aut sentire, non qualitas materia est, sed rationalis causæ: ideo anima rationalis intermedia sensatione sanguinis varias alterationes percipit, & instituta varia modificatione, ut aliquoties indicatum est, unionem suam activam cum sanguine sui corporis format, informat & servat. Quod autem eadem anima ad hoc officium, corporis usum & directionem concernens, nec crossa representatione, nec futili & ludicro voluntate indigeat, sëpiissime alibi discussum & ventilatum est, ita ut hæc vana objectio, ne quidem ulteriori attentione aut resolutione digna sit. Filum denique abrumpamus, & Deo humillimas gratias agamus, quod præsentem meditationem & explicacionem cœlesti suo auxilio beare voluerit, quem devotissime etiam precamur, ut almo suo adjutorio & directorio reliquis conatibus nostris exoptatus successus atque salutaris affulgeat.

## F I N I S.



He 157.8°

?

ULB Halle

002 179 687

3



sb





DISSE<sup>8</sup>  
TATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**SANGUINIS**  
**ET ANIMÆ NEXU,**

*Quam,*

AUSPICE DEO PROPITIO,

*Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,*

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E,

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
SACR. MAJ. REG. PORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE  
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-  
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS

ANNO MDCCXLIV. D. OCTOBR.

*Publicæ ac placide Eruditorum ventilationi subieciet*

RESPONDENS

**JOHANNES ELIAS DITTMAR,**  
SCHWARTZBURGICUS.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.*